Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1279
Quelle:
Copyright:

Vrbach sive *Auerbach*, cujus simile Opusculum cum aliis ejusmodi pluries Sec. XV. typis prodiit, neque in *Tract. Tract. Juris* reperitur.

XXIV. *fol.* 200. p. 2. *Urbani* VI. Pont. Literae, quibus *Angelo Acciajolo* ex Episcopo *Florentino* facto Cardinali primum S. *Laurentii in Damaso*, dein *Ostiensi* et 1409. mortuo adjicit Canonicatum et Praebendam in Ecclesia *Menevensi* (S. Davidis in Ducatu Walliae) redituum *sexaginta marcharum sterlingorum*, quos prius *filius iniquitatis*, ut in literis dicitur, *Ludovicus* (Donatus) *olim tituli S. Marci presbiter Cardinalis* possederat. Virum hunc egregium ex O. M. ob suspicionem initae adversum se conspirationis truculentus *Urbanus Genuae* cum 4. aliis Cardinalibus mense *Dec.* 1385. interemit. Vide *Theod. a Niem L. I. de Schismate* &c. et *Ciaconii Vitas Pontiff.* T. II. De *Ang. Acciaiolo* etiam *Mazzuchellii Scritt. d'Italia Vol.* I. P. 1. p. 38. Initium literarum est: *Dum exquisitam tue circumspectionis industriam diligenter attendimus* &c. Ad calcem: *Datum Janue* &c. Adhaeret Injunctio ad Praesides Ecclesiae *Menevensis* de Eo in possessionem mittendo.

XXV. *fol.* 202. *Incipit liber Pastoralis primus beati Gregorii pape.* Vitio compactoris *Pars* III. jam *fol.* 92. praecessit. Dimidium *Partis* II. *fol.* 231. sequetur. Integrum itaque est opus, ut in edit. *Maur.* T. II. p. 1.

XXVI. *fol.* 214. *Tractatus de appellationibus.* Incipit: *Viso de bijs que fiunt in Judicijs et tandem de sententia, est videndum de remedijs* &c. Initium istud suadere videtur Tractatum hunc pertinere ad *Summam* illam *breuem de Processu Judicij*, quam supra indicavimus *fol.* 195. inscitiaque Compactoris ab illa diremptum. Cum ergo in calce Tractatus legatur: *Explicit summa de Appellationibus edita per Johannem Calderinum*, fieri potest, ut superior quoque illa *Summa* ad hunc Autorem spectet. Neutrum tamen a quoquam illi tribui video.

XXVII. *fol.* 220. p. 2. Brevis Commentatio de *Casibus*, *in quibus sententia est nulla ipso Jure, de Privilegiis et Casibus Episcopalibus, et de Casibus Papalibus. Casus* isti saepenumero jam sub Typographiae primordia prelo subjecti extant. Quantum sibi in opella sua placuerit Epitomator noster, ex fine liquet: *Licet libellus iste sit breuis et paruus, potest tamen de eo dici*

Ortulus iste breuis Dulcia poma gerit.

XXVIII. *fol.* 225. *Copia littere missiue per ducem Bituricen. &c. misse dominis Cardin. et fere. domino Innocentio pape VII.* Superscriptio legitur ad calcem hujusmodi: *Dilectis in christo fratribus illis qui huius lamentabilis scismatis tempore dominum Cosmatum*